

doctrina, quam qui audiunt & legunt, sine gratia Dei peiores sunt inimici. Loquitur ibi S. Doctor de inimicis fidei, de quibus num. 6. dixerat. Nempe ergo isti Christiane pietatis inimici, legem Dei atque doctrinam, qua Christi praecepta fides, vel omnia audire nolunt, vel ad hoc audiunt, sive etiam legunt, ut irideant & detestentur, & quantam possunt contradictione blasphemant. De inimicis ergo, & talibus inimicis exploratum est, eos nusquam ex auditu aut lectione veritatum fidei evasuros amicos, absque gratia Dei, & sine illa peiores etiam fieri inimicos, ex propria malitia. Ceterum non id omnibus necessario accedere Ethnicis, clarissime docet Augustinus De dono persever. c. 14. ubi loquens de Tyriis & Sionitis, ait: Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moventur ad fidem, si congrua suis moribus, vel audiant verba, vel signa conspiciant. Verum quidem est, illud quaecumque naturale munus intelligentiae, nihil valere ad salutem, sine gratia; non propterea tamen dicendum illico, esse noxium; nec valere nisi ad hominem magis obdurandum: vel dicatur, omnia Dei dona mere naturalia seipsum noxia & perniciosa esse; quod negat Theolog. Suppl. cap. 193. & omnes catholici.

XLIX. Ad alias auctoritates S. Augustini ex lib. de spir. & littera cap. 14. ex opere imperf. contra Julianum cap. 94. lib. 1. Sicut & ad illam S. Thomae 2. 2. seu potius 1. 2. q. 98. ar. 1. ad 2. cum rangan legem veterem, commodius agatur cap. octavo sequen. Confirmatur, quod S. Augustinus non censuerit, correptiones, & gratias exteriores non deservire nisi ad cor peccatoris magis obdurandum, si cor non emolliat gratia, patet ex lib. de corrept. & grat. cap. 5. ubi cum aliquem qui corripitur non volebat, ait: Non vis enim tibi tua vitia demonstrari; non vis ut feriatur, fiatque tibi utilis dolor, quo medietur, cum queras: non vis tibi tu ipse ostendi, ut cum deformem te vides, reformatorem desideres; eique supplices, ne in illa remaneas foeditate. . . . Quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur, neque vituperentur: aut vero nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor; aut aliud agat cum salubriter stimulat, nisi ut rogetur bonus, & ex malis qui corripuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod enim vult pro se fieri, qui corripitur non vult, & dicit, Ora potius pro me, ideo corripendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum: ut Deo miserante, incremento charitatis adjutus, destinat agere pudentia & dolenda; & agat laudanda atque gratanda. Haec est correptionis utilitas, qua nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur: & tunc est salubris, quando superius medicus respicit: ubi licet Augustinus requirat superni medici aspectum, ut correptio sit salubris, id est, ad salutem & justificationem conducat: negat tamen, quod nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor. Neque etiam ut sit salubris requirit gratiam remissivam peccatorum simul infusam: sed sufficit ei gratia aliqua minor, ut rogetur bonus, ut medicum queras, reformatorem desideret. Falsum ergo est, correptiones non valere, nisi ad cor magis obdurandum, nisi Deus cor emolliat per gratiam remissivam peccati, qua prima est Quenellio, quam Deus peccatori largitur: prout ait propositione 28.

L. Similes utilitates correptionis colligere possumus ex S. Thoma: qui agens de verecundia, quae naturaliter sequitur correptionem, eam esse peccatoribus utilissimam ostendit 2. 2. q. 144. per totam. Art. 1. docet verecundiam, licet proprie virtus non sit, communiter dici virtutem, secundum quod omne bonum & laudabile in humanis actibus, virtus dicitur. Ad 3. Quod fovet honestatem, removendo ea quae sunt honestati contraria: non ita tamen ut pertingat ad perfectam rationem honestatis. Art. 4. ad 4. refert Ambrosium dicentem, [i] quod verecundia facit primis temperantiae fundamenta, inquantum scilicet incutit horrorem turpitudinis. . . . Art. 1. ad 5. dicit: quod ex multis verecundiarum causatur habitus virtutis acquisite, per quam aliquis turpia vitet, de quibus est verecundia. Cum igitur verecundia ex correptione nasci soleat, saltem in hominibus non omnino malis, hi omnes effectus ascribi possunt prudenti correptioni. Dixi non omnino malis: quia ut observat S. Thomas q. cit. art. 4. carent verecundia homines in peccatis profundati, quibus sua peccata non displicent, sed magis de eis gloriantur: in quibus etiam prodesse non solet correptio. Sed in his qui mediocriter se habent, secundum quod est in eis aliquid de amore boni, & tamen non sunt totaliter immunes a malo, invenitur. Ibid. ad 1. Quod si alibi dicat S. Thomas, correptionem non sufficere sine Dei adiutorio, ut loco supra cit. ex. 1. 2. q. 109. ar. 8. ad 2. intelligendum non sufficere, ut longo tempore, vel etiam, ut salutariter abstineatur a peccato. Nullo tamen modo inde licet inferre, quod sine gratia non deserviat, nisi ad cor hominis magis obdurandum: tum ob auctoritates superius ex S. T. citatas; tum quod inter esse salutem, & noxium, mediet moralis honestas, quae nec salutaris, nec noxia est. Quod non refectens Quenellus, peccavit etiam contra dialecticam, non secus ac ille qui scriptum reliquit: Aut odis aut amas mulier, nihil est tertium: potest enim nec odisse nec amare: & correctio nec salutaris esse, nec noxia: puta, si inducat hominem ad cessandum a peccato ob motivum aliquod honestum. Ut enim est apud Horatium l. 1. Epist. epist. 1.

Virtus est virtutum fuge, & sapientia prima. Stulticia caruisse. . . . Huc faciunt verba illa, quae in indicibus omnium pene Summarum S. T. V. Verecundia num. 8. leguntur, verum in ipsa Summa non reperiuntur; extant tamen in comment. S. T. in psal. 5. v. ult. Erubescant & conturbentur omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter, qui locus indicatur in Tabula aurea Bergomensis, & inde ad indices alios per inadvertentiam translata sunt: ut optime advertit noster Nicolaus, eas expungens ex indice Summae a se editae: quod annotasse sufficit: huc, inquam, respiciunt verba illa: ait enim ibi Angelicus: Sed aliter potest reddi ratio; quia scilicet a principio erubescit quis oculos hominum, ex hoc dolet, & vitat mala: in fine vero erubescit oculum rationis suae & oculum Dei. De prima Rom. 6. Quae fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? De secundo Luc. 18. Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare. "Apate ergo somnium Quenelli: quasi timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor nonnisi valeat obdurare.

## §. VIII.

## §. VIII.

Propositiones Quenellianae, censura notata.

Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris. Est. 38. Quenellus Luc. 8. v. 29. Voluntas quam gratia non praeparavit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se precipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Est. 39. Quenellus. Matth. 20. v. 3. & 4. Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem. Est. 40. Quenellus. 2. Thessal. 3. v. 18.

LI. De his propositionibus, intellectus de gratia sanctificante, idem dicendum quod cap. 6. §. 7. &c. dictum fuit de prop. 46. 47. 48. &c. Hic solum aliquid dicendum, quatenus intelligi possunt, de gratia actuali. Semper autem praecul habendum, quod Quenellus, uti alibi probatum, aliam nullam sufficientem gratiam admiserit praeter omnipotentem, producentem semper effectum ad quem datur a Deo; quae non sit aliud quam ipsa omnipotens Dei voluntas. Quippe existimavit, sed erronee, S. Augustinum, pro hoc statu, induxisse gratiam efficacem loco sufficientis Adamo collatae: quod etiam Magister ejus Arnaldus, in Analytica Synopsi doct. lib. S. August. de corrept. & grat. editioni operum S. August. Anni 1644. inserta, sed iussu Franc. Harlæi Archiep. Parisi deleta, ubi in fine sic lego: Ibi maxime notandum est, ad solvendum difficultatem de casu Adam, S. Augustinum gratiam sufficientem in subsidium advenisse. Cur ergo eadem solutione non utitur in solvenda difficultate, de non perseverantibus nunc fidelibus? nisi quia recte iudicavit, nullum jam amplius esse gratia illi sufficienti locum: quia sani homines adiutorium est, non medicinale, quo jam homo multis profundisque vulneribus confusus indiget, Christi Salvatoris auxilium. Hoc falsum esse ex iis quae hic §. 5. dicta sunt, satis, puto, apparet: eo vero supposito, nequit ex hisce propositionibus concludi, nisi totalis subversio libertatis humanae per peccatum.

LII. Depingunt nobis sacrae paginae libertatem nostram velut potentiam, quae ad bonum & malum, ignem & aquam, vitam & mortem valeat sese extendere, at si absente gratia illa omnipotente; praeter quam in via Quenelli nulla datur alia pro hoc statu, quamque Deus nec omnia datur, neque dare paratus est, uti idem docet; homo non est liber nisi ad malum, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se precipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: si nihil sine ea amare possumus nisi ad nostram condemnationem: ubi est, obsecro, potestas ad aliud extremum, bonum; quae nisi adit, tollitur libertas? Audiatur Magistrum Sent. lib. 2. dist. 28. cap. ult. ex epist. Hieron. ad Damasum (si tamen Hieronymi est): Liberum sic constituit arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio: & tam illis errare, qui cum Manichaeo dicunt, hominem peccatum vitare non posse, quam illos, qui cum Ioviniano asserunt, hominem non posse peccare. Uterque tollit arbitrii libertatem. Nos vero dicimus, hominem semper & non peccare, & peccare posse: ut semper nos liberi constituamur arbitrii. Haec est fides quam in catholica Ecclesia dicimus, & quam semper tenuimus. Dicitur ex S. Thoma 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. Illud quod pos-

sumus cum auxilio divino non est nobis omnino impossibile, secundum illud Philosophi 3. Ethic. "Quae per amicos possumus, per nos possumus?" Sed hanc evasionem strenue praeculit noster Alexander Seville, in egregio opere, quo primus in Belgio Janenismum oppugnavit: D. Augustini. . . . Interpret Thomisticus lib. 2. cap. 10. Nam licet hoc verum sit, quando homo divinum auxilium actu habet, vel saltem Deus paratus est, absque nova hominis culpa, illud conferre: (pro ut D. Thomas illud axioma Philosophi intelligit, juxta illud 3. contra Gent. c. 159. Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: & illud Leonis PP. Sermon. 116. Iusto nobis instat praeccepto, qui praecurrit auxilio, tamen nullo modo dicendum est esse in potestate hominis facere bonum, supposito quod ad quodcumque bonum indigeat gratia Dei supernaturali, in casu, quo nec actu illam gratiam supernaturalem habet, nec Deus paratus sit illam dare. Jam vero, juxta Paschasi principia, neque dat Deus, neque paratus est dare eam gratiam omnipotentem, sine qua nihil sit, nec fieri potest boni, nisi quibusdam tantum; ceteros, quos nec salvare ullo quidem modo vult, in sua impotentia & infirmitate relinquit, juxta Quenellum.

LIII. Nec juvat si dicas, multos ex his, quibus illud deest auxilium, habere charitatem, vel fidem, vel naturale lumen rationis, quibus mediantibus possunt bonum, remote saltem, facere. Non, inquam, juvat: nam & Adam in innocentia statu, per dona quae acceperat, plus poterat, quam homo lapsus, illis omnibus, mox recentitis instructus: & tamen Augustinus non dubitat asserere, quod, (1) si auxilium actuale ei defuisset, sine sua culpa cecidisset: non aliam ob causam, nisi quia dona illa habitualia non sufficient ad tollendam impossibilitatem. Praeterea; Janenius Tom. 3. lib. 3. cap. 15. omnes illos possibilitatis modos recensuit & admisit, his tamen minime obstantibus vidit evidenter sequi, quod sine auxilio actuale efficaci & necessitante, quod solum admisit pro hoc statu, uti & Quenellus; aliqua Dei praeccepta hominibus iustis, etsi volentibus & conantibus sint impossibilia &c. Tandem, etsi aliqui ex illis, quibus Deus non dat nec dare vult gratiam illam omnipotentem, praediti sint donis illis habitualibus, innumerati sunt, quibus illa defuit: ergo illi saltem sunt simpliciter impotentes ad bonum; sique nec liberi.

LIV. Sed quid laboro in ostendenda illa impotentia, cum ipse met propositiones eam aperitissime tradant: Nihil habet virium, nisi ad se vulnerandum, nihil ardoris nisi ad se precipitandum, nihil luminis nisi ad aberrandum: verbo, homo illa gratia destitutus, est capax ad omne malum, incapax ad omne bonum. Ubi accurate animadvertendum venit, hisce propositionibus, non vagam aliquam moralem, peccandi aliquando, necessitatem; sed physicam, ex defectu potestatis ad bonum, suam trahentem originem, in quolibet actu, qui sit, sine gratia illa omnipotente Quenelliana, aditru. Moralem jam dictam, ex infirmitate, ac debilitate naturae lapsae, ex vehementia tentationum, ex multitudine distractionum, & occasionum, ex deordinatione erga ultimum finem in peccatoribus, provenientem, non tam abnuit Augustinus & Thomas, ut potius primus ex S. Ambrosio, alter evidentissima ratione probet. Physicam nec in Augustino, (2) nec in Thoma, (3) sed in Luthero, Calvinio aut Janenio invenire potuit Quenellus. At-

(1) Lib. 1. de officiis c. 43.

(1) De corr. & grat. c. 11. (2) De dono pers. c. 8. (3) 1. 2. q. 109. art. 8.



Atque, ut de primis taceam; Jansenius hominem in primo statu liberum fuisse fatetur: *Erat quippe*; verba ipsius sunt, *De grat. primi hom. cap. 14. §. 6. (1) instar globi rotundissimi, in planitie perfectissima, versus omnem partem aequè mobilis*: quam ob causam non indigebat Adam in statu illo, si Jansenio fides, nisi adiutorio sine quo non; contra manifestam Fulgentii, fidelissimi Augustini discipuli & interpretis, sententiam *Lib. 2. ad Thras. c. 3. Non alia gratia stantem Angelum in ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque operata gratia: in hoc ut surgeret; in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur; in isto ut sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit; illum infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina.* (2) Quæ sententia ex ipso Augustino, dicente, *Deus medicus, opus est etiam sanis, ut sanitas ipsa teneatur*, desumpta videtur) post peccatum autem, Deus bone! quæ metamorphosis. Audiamus Jansenium e tripode oracula fundentem, *De grat. Chr. Salo. lib. 4. cap. x. §. 2. (3) Hinc patet, cur statim innocentie, & primo homini tanquam PROPRIUM assignaverit, ita liberum esse, ut bene velle possit & male: cum id Scholasticorum iudicio, omnibus hominibus, nisi beati fuerint, ex vi liberæ voluntatis competere videatur*. . . . . (4) Secundo patet qua ratione verum sit, quod in homine lapso, ante gratiam . . . non sit amplius illa primæ flexibilitas, qua bene velle possit & male . . . . Hinc ergo fit, quod liberum arbitrium, ante gratiam, ex Augustini doctrina, (ita perperam putavit Jansenius) non sit amplius liberum ad agendum bonum: sed tantummodo ad malum. (5) Hinc patet quarto, jam postquam gratia post lapsum nos adiuvare ceperit, esse quidem in homine liberum arbitrium ad utrumlibet sciendum; bonum ac malum, sed non ita scit ante lapsum in innocentie statu, atque Angelis fuit. Illorum enim sit liberum erat, ut suo se nutu, nihil impediens vel urgente libertatem, steteret ad utrumlibet: solum, si male, non sine adiutorio, si faceret bene. Nunc autem ipsum adiutorium benefice suavitatis facit, ut bonum velit: quo si desertum fuerit, ipsum adiutorium, ut ita loquar, noxie suavitatis facit, ut malum velit. Itam quippe suavitatem quæ superaverit, voluntas consentiendo sequitur. . . . Sexto hinc etiam claret, cur Augustinus (quod falsum est) omnem omnino gratiam pure sufficientem, sive ante fidem, sive etiam post fidem auferat. Ratio perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi præter ipsam suavitatem Dei; nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creaturarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fructu, in medio remanebitur. . . . Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia: sed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem possit sequi; nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Quamquam ex alio capite ipsa ratio gratiæ sufficientis integre natura, ac libero arbitrio seipsum viribus suis discernenti propria est, & propterea inepta natura læsa vel reparanda, vel adiuvanda. Fere dixerat Jansenius, non esse in potestate hominis, pro hoc statu, vias suas bonas aut malas facere. Et vere non video in quo differat hæc Jansenii doctrina, a damnata illa *sess. 6. can. 6. Tridentini*. Hic est fons, unde ferentes aquas suas, de necessitate physica ad malum, orta ex defectu physica ad bonum potestatis, haurire Quesnellus, Jansenii amantissimus, potuit. Sancti Patres, superius citati, ad summum, necessitati quandam moralem, & vagam peccandi aliquando, in homine lapso admittunt: verum, juxta illam Jansenii doctrinam, & Quesnellianas, quas præ manibus habemus, propositiones, physica admittenda est peccandi necessitas, in quolibet actu, sine gratia omnipotente elicitio; unde velint nolint, coguntur cum Jansenio, tum Quesnellus post, & cum Calvino *Lib. 1. institut. c. 2. num. 7. dicere* (6) *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberum habeat, boni æque ac mali electionem: sed quia mala voluntate agit, non coactione. Valeant illi cum suo Calvinio: perplacet sententia Magistri* (7) *Nos vero dicimus, hominem semper & non peccare, & peccare posse: ut semper nos liberi consueamur arbitrii. Hæc est fides quam in catholica Ecclesia didicimus, & quam semper tenuimus.*

LV. Adducit in favorem harum propositionum auctor Theol. suppl. pag. 188. varias auctoritates S. Augustini, Conc. Arausiacani 2. can. 22. Auctorem libri de vocatione gentium lib. 1. cap. 8. varios demum Theologos, quos citaverat pag. 174. nominatim, probabiliter docentes, quod nempe nulla hujusmodi gratia, actuali, excitatus & motus homo, naturæ corrupte nature viribus omnino relictus, nil nisi ad malum possit. Sed vere nihil profuturum omnia illa damnatis propositionibus. Præterque enim S. Augustini auctoritates, uti illæ ex libris contra Pelagianos editis desumptæ, solum probant hominem sine gratia non posse opus undequaque bonum, id est, etiam meritum vite æternæ, quod asserbat Pelagius, elicere: illa vero ex libris contra Julianum, id ad summum probant, quod sine gratia, non possit homo aliquid opus bonum, hoc est, quo se ad gratiam consequendam disponeret; uti Julianus inter cætera prætendebat, efficere. Expositio hæc bonæ criticæ regule, quæ ex scopo auctorum, sensum eorumdem venari docemur, conformis est. Illud vero ex *serm. 10. de verb. Apost. Nostrum nihil est, nisi peccatum quod habemus*. Item aliud ex *Tract. 5. in Joan. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum: ambabus ulnis amplector. Quinimo intimis omnium cordibus insculptam opto auream hanc Augustini sententiam* (8) *Prævenit te Deus in omnibus: præveni & tu aliquando ejus iram. Quomodo? Confiitro ista omnia a Deo te habere: quicquid BONI habes, esse ab ipso: a te, quicquid MALI. Quippe ex can. 20. Conc. Arausiac. 2. cum nulla faciat homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo: peccatum vero sit a Deo solum permittive, ab homine vero ut a prima, & proxima causa: nam primum deficiens, est creatura: recte dixit Augustinus, nihil nostrum esse nisi mendacium & peccatum: cum omne bonum a contrario Deo adhibendum sit, cuiuscumque illud sit ordinis, sive naturalis, sive supernaturalis. Verum ex hoc male concluditur, ad omne bonum requiri gratiam supernaturalem, eamque omnipotentem: quasi vero influxus Dei naturalis ordinis, nil nisi malum proferret! Ad id vero quod ex Capitulis epist. Cælestini annexis adducitur: *Nemo nisi per Christum bene utitur libero arbitrio* facillima responsio est, si recte clamus ex August. (9) nos arbitrio & rebus mundi bene uti, si ita ut utamur, ut de corporalibus temporalibusque rebus, æterna & spiritalia capiamus: id est meritorie: concedimus autem ad meritum gratiam requiri. Unde nihil contra nos facit locus iste. Explicatio hæc, seu distinctio, a S. Thoma mutuata est; qui explicans qualiter fides & spes,*

spes, in absentia charitatis, sine verâ, sed non perfecta virtute, ait: (1) *Et ideo fides & spes possunt esse sine charitate: sed sine charitate, proprie loquendo, virtutes non sunt. Nam ad rationem virtutis pertinet, ut non solum secundum ipsam aliquid BONUM operemur, sed etiam BENE, ut dicitur, 2. Esch. Videmus hic clare, aliud esse operari BONUM, aliud BENE. Hoc sine charitate non fit; secus illud.*

LVI. Eodem modo responderi potest ad illorum Theologorum auctoritates: attamen aliquid addendum; quia dicit illos Theologos docere, quod homo sine gratia nihil nisi ad malum possit. Unius solum & alterius Theologi, quos pag. 174., ad quam remittit pag. 191., citat, sententiam referam; poterit exinde de aliis judicari. Primus est Alvarezius noster. Is *De auxiliis* ea ipsa disputatione 50. lib. 6. a Theologia suppl. citata, statim ab initio, hæc formalia habet: *Certissimum est enim, in doctrina S. Thome, imo & juxta decretum Bullæ Pii V. . . . posse hominem, absque auxilio gratiæ, elicere aliquem actum bonum moraliter, qui sit vere bonum, ac vera, sed tamen imperfecta virtutis opus, comparatione objecti, seu boni particularis. Alter quem citat, est Lemosius noster. At is quoque eodem, quem citat loco, nimirum Panoplia grat. Tom. 3. lib. 3. part. 2. tract. 2. idem docet quod Alvarezius. Sic enim lego cap. 6. num. 69. Dicendum ergo primo: homo in natura lapsa sine auxilio gratiæ, non semper facit opus morale malum, sive ex objecto, & genere, sive ex mala circumstantia: ita, ut nullum possit opus bonum morale efficere. Hæc catholica veritas est, contra Lutheranos & Calvinistas definita in Sac. Conc. Trid. sess. 6. de justif. can. 7. . . . Quinto dicendum, aliqua bona opera moralia ex objecto, & fine, & absque mala circumstantia efficere potest homo in natura lapsa solis sue nature viribus, cum concursu generali Dei, ordinis naturalis, absque omni auxilio supernaturali divine gratiæ. Hæc illa media via est, quæ ut in prima conclusionis premisimus] catholica veritas, inter duos extremos incedit, vitans errores Pelagianorum, dicentium hominem talem omne bonum opus facere posse: & Lutheranos & Calvinistas contendentium bonum opus [nullum] efficere posse; utrumque errorem æqualiter damnans &c. Tales tamen viros, qui doctrinam Thomisticam summam cum gloria propugnaverunt in famosis illis de Auxiliis concertationibus, Auctor Theol. suppl. citare audeat, ac si docuerint, quod homo sine gratia, nihil nisi ad malum possit!*

LVII. Sed, quod intolerabilius longe est, addit: (2) *Quibus omnibus præluxisse videtur D. Thomas 2. 2. q. 136. art. 3. ad 2. Præluxit sane Sanctus Doctor illis auctoribus, sed in damnanda illa assertionem non in asserenda. Illud vero quod S. Thomas asserit loco citato, hoc est: quod ad amorem virtutis, & vitii fugam, tales, ut potius eligat quis gravissima mala ac cruciatus tolerare, quam, v. g. patriam prodere, aut aliquid aliud inhonesti committere, (de quibus casibus agitur in argumento) licet necessaria non sit gratia habitualis, requiratur tamen auxilium aliquod actualæ gratiæ Dei; propter heroicam, ut sic dicam, litorum actum. En argumentum S. Th. 2. cum sua solutione. Præterea. Aliqui non existentes in statu gratiæ magis abhorrent mala vitiorum, quam corporalia mala. Unde quidam gentium leguntur multa mala tolerasse, ne patriam prodere, aut aliquid aliud inhonestum committerent: sed hoc est patientem esse: ergo videtur quod patientia possit haberi absque auxilio gratiæ. Huic* Serry Tom. V.

argumento respondet S. Thomas. Dicendum quod bonum politice virtutis commensuratum est nature humane. Et ideo absque auxilio gratiæ gratum scientiæ potest voluntas humana in illud tendere; licet non absque auxilio gratiæ Dei. Sed bonum gratiæ est supernaturale: unde in illud non potest tendere homo per virtutem sue nature. Et ideo non est similis ratio. Dicit nunc auctor Theol. suppl. utrum existimet S. Thomam requisivisse gratiam Christi, de qua Quesnellus agit, id est entitativè supernaturalem in casu, de quo in argumento agitur? Si affirmat: ergo a S. Thoma damnata hic sunt propositi. Quesnelli 26. 27. 28. & 29. quibus asseritur nullam gratiam concedi ante fidem. Si dicat S. Thomam solum requirere gratiam, id est, influxum aliquem extraordinarium, ac propterea indebitum, ordinis naturalis, ad quid inducit hunc textum pro Quesnello, exigente gratiam Christi, id est, supernaturalem, ad quodcumque opus bonum, cuiuscumque generis? Qualecumque autem sit auxilium illud gratiæ Dei, quod Sanctus Thomas requirit ad tolerandum multa mala, ne patriam quis prodatur, aut aliquid aliud inhonestum committat, nemo sensatus inde inferet, requiri juxta S. Thomam auxilium supernaturalis gratiæ, ad quemlibet actum honestum, etiam levissimum: præsertim cum S. Thomas innumeris locis doceat contrarium. Videri potest 2. 2. q. 10. art. 4. ubi docet, quod cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent: remanet tamen in eis aliquod bonum nature. Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quæ sufficit bonum nature, alicuique operari possunt. Unde non oportet ut in omni opere sua peccent. Sed quodcumque aliquod opus operantur EX INFIDELITATE, tunc peccant. Porro inter illa opera ad quæ sufficit bonum nature, recenset S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. edificare domos, plantare vineas: 2. 2. q. 23. art. 7. conservare civitatem q. 24. de verit. art. 14. dare elemosynam ex quadam naturali dilectione vel benignitate, dicit esse bonum proportionatum viribus humanis: additque: illud autem bonum quod est nature humane proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere. Unde dicit Augustinus, quod homo per liberum arbitrium potest agros colere, domos edificare, & ALIA PLURA BONA FACERE SINE GRATIA OPERANTE.

LVIII. Concludo hunc §. verbis Lemosii nostri loc. cit. ubi, postquam ex Tridentino & Arausiano 2. probasset quintam supra memoratam conclusionem, eandem ita confirmat. (3) Idem, clarius traditur a Pio V. contra quemdam Michaelem Bajum, in quadam Bulla a Gregorio XIII. confirmata & publicata ann. 1579. 4. Kal. Febr. Pontif. ann. 8. in qua inter alias illius Auctoris damnatas assertiones hæc 37. loco constituitur: *Cum Pelagius sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit. . . . Et alia ejusdem Auctoris reprobat, quæ est num. 25. quæ sic habet: Omnia opera infidelium sunt peccata. Et alia 27. quæ talis est: Liberum arbitrium sine gratia Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet. Quæ omnes propositiones damnatæ sunt ab utroque Pontifice Summo, & a Concilio Tridentino, & Arausiano citatis: quas etiam prius S. P. Augustinus damnavit: perpetuo docens, quod potest homo in natura lapsa, sine gratiæ auxilio aliqua bona opera moralia ex objecto, & sine mala circumstantia* Q 9 „face-

(1) Edit. Rothomag. 1652. T. 2. pag. 61. col. 1. in fine. (2) Serm. 34. de diversis cap. 3. (3) Tomo 3. pag. 183. col. 2. (4) Pag. 184. col. 1. (5) Loc. cit. col. 2. (6) Edit. Amstel. 1667. (7) L. 2. dist. 28. c. ult. (8) Serm. 10. de verb. Apost. (9) Lib. 1. de Doctrina Christi cap. 4.

(1) 1. 2. q. 65. ar. 4. c. (2) Pag. 175 (3) Pag. 29. num. 80.



facere; ita quod in illis nullo modo peccet; ut constat ex inducendis testimoniis. Eandem semper docuit S. Thomas, ut patet ex 1. 2. q. 109. art. 2. & 4. & 2. 2. q. 10. art. 4. ubi docet non omnia opera infidelium esse peccata. Ratio etiam id convincit: si enim homo non potest sine auxilio gratiae efficere aliquid bonum opus morale: ergo sic operando semper peccat; & ex consequenti extinctum manet liberum arbitrium ad bonum per peccatum originale: quae est haeresis Lutherorum & Calvinistarum, in Sacris Conciliis damnata. Nec huic obstat veritati, quod ab Apostolo dicitur, *Omne quod non est ex fide peccatum est*. Non enim intendit (ut communis est SS. Patrum intelligentia) quod omnia opera infidelium vere, & proprie peccata sint. Unde illius testimonii duplex vera intelligentia est. Prima, quod omnia opera infidelium meritoria non sint, & sic largo modo peccata dicantur; inquantum nempe nihil conducunt ad salutem & meritum. Secunda (quae magis propria videtur) est, quod omnia opera infidelium, quae ab ipsis fiunt, quatenus infideles sunt, & procedunt ex infidelitate, vel ad ipsam ordinantur, illa vere peccata sint; non autem bona aliqua naturae opera, quae ab ipsis non fiunt ex infidelitate, vel ad ipsam ordinantur, sed ex quadam naturali bonitate, communi ipsis, & aliis, qui infideles non sunt; qualia sunt bona aliqua moralia, puta, dare elemosynam propter naturalem pietatem: dicere verum, & non mendacium, & similia. Ita S. Thomas exponit 2. 2. q. 10. art. 4. . . Non etiam obstat quod in Conc. Araucano 2. definitur; *can. 22. nimirum, quod nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum*. Sensus enim est, quod sine Deo vel auxiliante per gratiam, vel per generalem influxum ordinis naturalis, non potest habere homo ex se solo, nisi peccatum, atque mendacium: quia prima causa mendacii atque peccati homo solus est: de cuius vera intelligentia copiose dictum est supra. Hae Lemolius. Igitur Quesnellus illos contrarios renovans errores, merito damnatus est: five, ipse se damnatione antiqua ultra involvit: uti superius n. 4. dictum est.

## §. IX.

*Propositio Quesnelliana, censura notata.*

*Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide & precibus. Est 68. Quesnell. Aet. 2. v. 21.*

LIX. Propositio haec sponte fuit sua ex praecedentibus, toto hoc capite discussis. Si enim defacto non datur nisi gratia illa omnipotens, quae totum semper efficit, ad quod efficiendum a Deo datur: (gratias inefficaces Janseisticas, quae vere sufficientes non sunt, haud moror) si sine illanihil boni cuiuscumque generis fieri potest: si ita nobis adveniat, ut mortuis actio, seu potius voluntas resuscitativa, aegris, sanativa Dei: si omnes ita gratuita sunt, sicut ipsa originalis operatio, idest, incarnatio Filii Dei, frustra peccatores suam ipsorum scordiam excitando, & sese ad curvandum in stadio cobortando (quamvis id laudet & probet Trident. (1)) defudant: imo obstant sibi potius; & quanto vehementius peccator nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius peccat: unde con-

cludendum Quesnello erat, Deum abbreviasse viam salutis, claudendo totum in fide & precibus. Precibus, inquam, non quas peccator pro se ipso fundit; quippe *Oratio impiorum novum est peccatum*, ut habet prop. 59.; sed quas Ecclesia, vel iusti pro peccatoribus fundunt. Hic est ipsissimus error Monachorum illorum Adrumentinorum, qui apud Augustinum dicebant: (2) *Ergo praecipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis praesunt: (pro hoc ponit Quesnellus Fidem) Et ut faciamus orem pro nobis; non autem nos corripiant & arguant, si non fecerimus*. Ecce preces, quas, non peccator pro seipso, sed peccatoris conversionem desiderans, pro peccatore fundit: ac sic etiam intelligenda necessario venit propositio Quesnelliana; praesertim, dum ut connexa cum quinquagesima nona, intelligitur atque appenditur.

LX. Ubi ergo funt opera bona, pro quorum accumulatione Scriptura Sacra fere ubique vult nos esse plurimum sollicitos? (3) *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*. --- (4) *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciat: haec enim facientes, non peccabitis aliquando*. Sic enim abundanter ministrabit vobis introitus, in eternum Regnum Domini Nostri, & Salvatoris Jesu Christi. Nolo hic discutere, an negaverit vult Quesnellus necessitatem bonorum operum ad salutem. Satis mihi in praesenti, ex hac & aliis propositionibus sequi, non debere nos de illis esse multum sollicitos: idest, non magis, ac soliti sumus esse, utrumne ante generalem resurrectionem finis resuscitandi: vel, utrum miraculose ab aliqua infirmitate sanandi sumus. cum haec operationes divinae misericordiae & omnipotentiae sint iusta idea, quae haberi debet de divina gratia in sanandis animabus a cupiditate, ut vult prop. 24. Cum ergo in hac quoque propositione dicat, negotium salutis totaliter clausum in fide & precibus, omnino rationabiliter dicitur, Quesnellum sollicitudinem exercendi se in bonis operibus exclusisse. Hoc est Christianifides in fanaticos Anabaptistas, in angulis reclusos, caelestis gratiae illapsum praetolantes, taciturnos sedentes, torvunque aspicientes pro parte convertente: aut sane in libertinos. Non tales tamen, qui nec Deum credant: aut Angelum, aut Daemonem, aut Spiritum; sed politicos illos, qui ex capitalibus religionibus, Christianismo, Iudaismo, Turcismo, Ethioicismo, primam, ut rationi magis congruentem, praeter ceteris eligant; eique se exterius conformant; interne vero permittunt se agi passionibus: docti, omnia in praesenti statu ex necessitate absoluta evenire: quae, utut adversa sit libertati status innocentiae, huius tamen corruptae naturae libertatem constituit. Sic videmus quoque ex Calvinismo, cui hic consentit Quesnellus, memoratas illas sectas, ut innumeras alias praeteream, prodixisse.

LXI. Quod amplius est, Quesnellus non requirit hac propositione fidem Romano-catholicam, sed praecise christianam, qua in Christum ut Messiam creditur. Hoc ut manifestum fiat, describenda hic venit propositio illa cum suis adiunctis, quae cum apud Quesnellum extat, & dubio procul, in examine discussa est. Sic ergo habet Edit. Latina (5) 2. Aet. v. 21. *Vera religio non amplius uni populo affixa est, Religio universalis est CHRISTIANISMUS. Invocare Dominum, non aliud est, quam in ipso spem omnem reponere, & non nisi*

ab ipso gratiam facienti ejus voluntatem EXPECTARE. Quae Dei bonitas sic in compendium redigisse (alias abbreviasse, vel abbreviavit) viam salutis, fide & oratione concludendo omnia. Sufficit ergo Quesnello Christianismus, cum fiducia in Deum, ad salutem. Sic sibi proprietatis reddebat omnium Christianorum Sectas, apud quas praevidebat, cum suum ederet *Reflexionum Librum*, sibi aliquando asylum fore quaerendum. Huc quoque spectat prop. 94. *Nihil peiorum de Ecclesia opinioem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium: & foveri divisiones propter res, quae nec fidem laedunt, nec mores*.

LXII. Frustra autem nobis opponit Theol. Suppl. (1) *Compendiarium salutis viam in fide & precibus ponunt Sacra Litterae*. Respondetur enim 1. ut respondere solent Catholici Lutheranis & Calvinistis, Sacras Litteras non debuissit ubique omnia ad salutem necessaria repetere, sed sufficere si unum hic, aliud alibi colloquet, addatque: (2) *Hec oportuit facere, & illa non omittre*. Respondetur 2. Sacras litteras inculcare ut solliciti sumus bonis operibus salutem nostram & electionem certam facere. hanc sollicitudinem principia Quesnelli, ut dictum est, excludunt. Resp. 3. Aliud esse, omnia salutis remedia in breve redigere compendium, aliud, abbreviare viam salutis, atque in duobus claudere. Primum facit Scriptura: alterum Quesnellus. Et quid est, obsecro, abbreviare, claudendo totum in fide & precibus; nisi dicere, haec solum a nobis exigi: reliqua Deo curae futura? Hoc dixit Quesnellus: Scriptura nulli.

LXIII. Nihil plus proficit adducendo Augustinum. Enimvero Augustinus de Monachis illis Adrumentinis, qui nequidquam minus ad salutem quam Quesnellus requirebant, haud contentus, etiam integram libram edidit ipsis, & in ipsis Quesnello, confutandis. Scripsit ergo Augustinus: (3) *Opus unum est, in quo sunt omnia: fides quae per dilectionem operatur*. Item (4) *Pete ab illo salutem, & salus tua ipse erit*. Scripsit etiam S. Thomas, ut quidam referunt in ejus vita, forori petenti, quid facio opus, ut salva fieret? *Ut velis: ecce compendium brevissimum, septem inclusum litterulis*. Dixit etiam S. Ignatius de Loyola: *Si vis salvus esse: sic ora, quasi nihil posses: sic age, quasi nullus ope indigas*. Hi sancti cum S. Scriptura paucis multa: Quesnellus multis paucis. Abbreviando & claudendo totam viam salutis in duobus. Liceat nobis compendia illa Quesnelliana ignorare.

## REFLEXIO TERTIA.

LXIV. Ex his fere patet qualem sibi Quesnellus ideam fixerit libertatis humanae, humanarumque actionum. Scilicet, homo ipsi est navigii instar, quod pernici ac rapido fluvio, in diversa quasi brachia divisum, impositum, non nisi deorsum in mare praecipit ruit, aut rueri potest; nisi adverso vento, vim ipsam fluminis superante, sursum, adverso flumine feratur; quodque tam deum sursum ferri potest, quando actu fertur. Tale est Quesnello liberum arbitrium in statu naturae corruptae. Amore proprio, in varia quidem, ac sibi etiam adversa, ruente agitur deorsum in praecipit, idest in peccatum; ita ut nulla ejus sit actio, omisso nulla, quia sit gravior aut levius peccaminosa; nisi vi & virtute gratiae, imperum

Jerry Tom. V.

amoris proprii superante, in bonum feratur: in quod tunc ferri potest, quando defacto, vi gratiae in illud fertur. Hinc motiones morales, puta exhortationes, correptiones, exempla, flagella, ceteraque gratiae exteriores, quibus homo ratione praeditus, natus est moraliter moveri, inutiles sunt, imo noxae, hominemque pejorem & obduratorem aptae natae sunt reddere; nisi gratia interiorum animi in bonum impetu suo abripiat. An haec non sit species quaedam Manichaeismi? Ecquid enim interest necessitatem illam unde contraxerit homo, an ex prima sua institutione, ut Manichaei fovebant, an vero ex culpa non personali, sed capitis sui, ac primi parentis?

LXV. Quam haec ducant, imo adversantur Thomistarum (quos aliqui inscitia dicam, an malevolentia? Quesnelli affleat buccina) doctrinae ac primis etiam principis! Est homo Thomistic instar navis mari impositae, vento vigoroso quidem, sed proprio astate, omnibus prosperae navigationi necessariis adminiculis instructae, praefertim expedito gubernaculo, quo possit, in quamcumque voluerit partem cursum desistere: nec defuit remi, quibus possit se juvare ad captandam auram. Homo, inquam, voluntate, amplissima scilicet potestate, & quae a nullo bono creato, imo nec divino non clare viso, sufficienter, id est necessario moveri potest, praeditus, adjuncta ratione aequae vastae & amplae, aspiratur a Deo, ponturque in motu. Quo nunc cursum intendet? Voluntas in motu posita, applicat duce sibi adjunctum intellectum, vocatque in consilium. Hic, quid utilitatis, quid commodi, quid boni, quid mali dextorum, quid item finitiorum occurrat, exquirat, voluntarieque proponit. Haec, cujus est determinare cursum, cum nihil inveniat, quod se rapiat, anceps haerere facillime, nisi unum aliquod occurreret, quod praeter aliis aliquanto plus placeret; foretque id magis placere, quod praesenti voluntatis dispositioni magis conforme est; uniusquisque enim indicat prout affectus est. Verumtamen non sibi totaliter relinquitur: providet Deus per exhortationes, correptiones, praedicationes, exempla, & interdum etiam agnitones, & flagella, donum gratiae &c. ut recte cursum instituat; ne frenes aliquas allucientes, objecta sensuum dico, & habitus vitiosos aut audiat, aut certe contemnat: nihil tamen horum, ut planum est, eum necessitat, sed liberrimam ei electionem & optionem relinquit. Dum sic voluntas, intellectu faciem praesentem, in diversa velut apud de flore in florem, pervagatur, complacet sibi tandem in uno praeter aliis: si in bono, Deo id ascribendum: si in malo, aliunde est. Duplex hoc motionis genus eleganter expressit Sanctus Bernardus de gratia & libero arbitrio. 14. n. 51. *Deus, inquit, voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati*.

LXVI. Porro haec complacentia, quod bene observandum, non est aliquis actus, vel actio, sed quies voluntatis in uno praeter alio, ex qua, si aliquoties perseveret, nascitur desiderium, quo jam significatur motus quidam. Unde erravit Janseus dum dixit: (5) *Quid est delectari hominem iustitia vel mendacio, nisi actu aliquo in iustitiam, vel mendacium tanquam sibi convenientia, & jucunda moveri?* Est, inquam, complacentia, quaedam inchoatio, delinectio, rudimentum desiderii, seu coactio voluntatis ad desiderium, in quo jam importatur aliquis motus, est in complacentia nullus adhuc fit, aut intelligitur. Praestat audire S. Thomam id suis verbis Angelicis explicari.

Q9 2 can-

(1) Sess. 6. cap. 11. (2) De correptione & gratia. c. 3. (3) Eccles. 9. v. 10. (4) 2. Petri 1. v. 10. (5) An. 1695.

(1) Pag. 119. (2) Matth. 12. v. 23. (3) In Psal. 89. (4) In Psal. 32. (5) Lib. 4. de gratia. Chr. cap. 11.



centem. (1) Dicendum quod passio ( loquitur de passione amoris in isto articulo : ) est effectus agentis in patiente. Agens autem naturale, duplicem effectum inducit in patiente. Nam primo quidem dat formam, secundo dat motum consequentem formam; sicut generans dat corpori gravitatem, & motum consequentem ipsam: & ipsa gravitas, quæ est principium motus ad locum connaturalem, propter connaturalitatem, potest quodammodo dici amor naturalis. Sic etiam ipsum appetibile dat appetitui, primo quidem quandam cooperationem ad se ipsum; quæ est quedam COMPLACENTIA APPETIBILIS; ex qua SEQUITUR MOTUS ad appetibile. Nam appetitus motus circulo agit, ut dicitur in 3. de Anima: appetibile enim movet appetitum ( metaphorice ) faciens quodammodo in eo ejus inclinationem; & appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut ibi sit finis motus, ubi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor: qui nihil est aliud quam complacentia appetibili; & ex hac complacentia SEQUITUR MOTUS in appetibile, qui est desiderium &c. Patet ergo ex S. Thoma, quod complacentia non sit motus, sed illius principium, præladum; ac rudimentum idem docet q. 25. art. 2. Rursus colligi idem potest ex sequentibus ejus verbis. (2) Dicendum quod, sicut dictum est, bonum est causa amoris per modum objecti. Bonum autem non est objectum appetitus, nisi prout est apprehensum; & ideo amor requirit aliquam apprehensionem boni quod amatur; & propter hoc Philosophus dicit q. 9. Ethic. quod visio corporalis est principium amoris sensitivi; & similiter contemplatio spiritualis pulchritudinis vel bonitatis, est principium amoris spiritualis. Sic igitur cognitio est causa amoris ex ratione qua & bonum, quod non potest amari nisi cognitum.

LXVII. Non solum objecti propositione, sed innumeris aliis modis Deum uti, verbis sequentibus explicat S. Thoma. (3) Mutatio, inquit, voluntatis effectus non potest fieri aliquo momento per modum excitantis. Omne enim motum necesse est ad alio moveri: nec differt quidquid sit illud, quod hujusmodi variationis occasionem præbeat, quasi voluntatem excitando; sive sit admonitio hominis, vel agitata corporis, vel aliquid hujusmodi: quæ omnia constat divina providentia subiecta esse, & in bonum electorum ordinata. Unde quidquid illud fuerit quod hominem excitaverit ad convertendum se, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data illi potest. Hæc S. Th. Consensus auctor (4) tibi de vocat. gent. Gratia quidem Dei illa, inquit, in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subjungitur ei atque conjungitur; quæ ad hoc prædictis est excitata prædictis, ut divina in se cooperetur operi: de sua habens mutabilitate si deficiat, de gratie opulatione si proficiat; quæ opulatio per INNUMEROS modos, sive occultos sive manifestos omnibus addibitur; & quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ.

LXVIII. Nec videri debet alicui superfluum, quod Thomista defendentes necessitatem prædeterminationis physica ad omnem omnino actum & motum, stabiliant hujusmodi motiones morales, tum, quod hic nondum agatur de aliquo actu aut motu, sed de complacentia seu quiete, quæ est principium desiderii, seu motus: tum, quia homo est agens ad duplicem spectans ordinem, phy-

sicum videlicet & moralem; unde cum sit solum agens secundum, movens motum; duplex genus motionis exposcit, physicum & morale. Deuter ergo attingens omnia a fine usque ad finem FORTITER, & disponens omnia SUAVITER, utroque motionis genere utitur, ut hominem convertat in bonum. Id usque adeo verum est, ut nec in conversionibus maxime miraculosis, soleat diversa illa motionum genera prætermittere. Inter conversiones mirabiles, & quæ maxime commendunt potentiam Dei in humana corda, recenset S. August. (5) Assueri immutationem, de qua Esber. 13. Convertit Deus & transiit indignationem ejus in lenitatem: reflectitque Augustinus, multo majus esse, indignationem a contrario in lenitatem convertere atque transferre, quam cor, neutra affectiones præoccupatum, sed inter utramque medium in aliquid declinare: unde talis conversio, non nisi efficacissima Dei operatione fieri potuit, & tali, qua Deus; Bernardus seu potius D. Guigo Carthusiensis ut in Append. tom. 8. apud S. August. pag. 196. loquitur in Schola Claustralium cap. penult. ut vulgo dici solet, bovem cum cornu trahit, quando non vocatus se infundit. Non tamen hic deficit motio moralis apissima ad convertendum cor hominis voluptuosi ac carnalis, qualis Rex ille erat: eximia videlicet, & incredibilis pulchritudinis regina, roseo colore cultum perfusa, gratis & nitentibus oculis. Esber. 15. v. 8. in subitum pallorem, & mortis imaginem mutata. Dum vero hæc exterius lenitatem moraliter suaderent, Deus interius cor immutabat potenti manu sua.

LXIX. Aliud mirabilis conversionis exemplum suppeditat nobis Paulus; qui cum esset in actuali flagitio, spirans minarum & cædis, statim quandam perfectionem iustitiæ consecutus est: sed nec hic deficit moralis externa motio, visum simul & auditum percollens & occupans, & quidem miraculose producta, ut observat S. T. 1. 2. q. 113. a. 10. c. Quam rabida, inquit S. August. (6) Pauli voluntas, quam furiosa, quam cæca! qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique tali visio, quo mens illa, & voluntas, resecta servitia retorqueretur & corrigetur ad fidem, repente ex Evangelii mirabili persequere, mirabilior prædicator effectus est. Mens Pauli contumenda, non palpana; terrenda, non blande allicienda erat. Huiusmodi nihil aptius fulmine de cælo, eum horribilis tonitru fragore ruente in hominem, eumque subito allidente. Sic Saulus a concurrentibus omnibus hinc causis, ac simul Deo grandiori voce intus tonante, convertitur in Paulum. Huc referri potest illud August. (7) Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad fidem; eademque res sepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret; voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est? item illud S. Th. (8) Invenimus enim ordinem infallibilem esse respectu alicujus dupliciter. Uno modo inquantum una causa singularis producit effectum suum ex ordine divine providentie. Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium & deficiente possibilibus, pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus, loco ejus quæ deficit, vel ne altera deficiat. &c. & hoc modo dicitur in prædestinatione &c. Patet ergo quod præter motionem illam physicam, quæ voluntas a Deo primitus in actu constituitur; de qua S. Th. (9) Deus, inquit, movet voluntatem hominis sicut universalem motorem, ad universalem ob-

objectum voluntatis, quod est bonum: & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; præter hæc, inquam, dari varii generis motiones morales, quibus homo allicetur, invitatur, suaviterque attrahitur ad hoc vel illud particulare bonum; aut absterretur a prosecutione mali: Scipiam viam tuam finis. Olee 2.

LXX. Duplex illud motionis genus, physicum & morale, de quo huc usque, sufficere posset ad generandam in anima simplicem complacentiam objecti propositi, quam diximus quietem quandam voluntatis, ortam ex bono per intellectum eidem proposito. Sed hic non sinitur: nam ut ait S. Leo (1) Sermo 5. de quadrag. Deus ideo præceptum dat, ut excites desiderium, ET PRÆSTET AUXILIUM. Et S. Augustinus de grat. Chr. c. 10. Sed nos, inquit, eam gratiam volumus, iste, Pelagius, aliquando fateatur, quæ future gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur: non solum revelatur Sapientia, verum etiam & amatur; nec suadet solum omne quod bonum est; verum & persuadetur. Enim vero complacentia illa, licet sit quædam quies appetitus in bono, dum adhuc tenera est, infirma, nondum appetitus plene domina; ubi tamen ex duratione firmiter ac robustius evalescit, occupat ita appetitum, ut fiat in eo quasi pondus quoddam inclinans appetitum in objectum appetibile; idest, sit tandem amor perfectus, metaphoricum appetitus pondus, de quo Augustinus alibi: Amor meus pondus meum; eo feror quocumque feror. Porro, amor, si cum electione sit, quæ unum alteri præferatur, dilectio dicitur: in qua jam auditur sonare adus positivus: unde S. August. ut autem diligatur bonum, caritas Dei diffunditur in cordibus nostris &c. Igitur ex complacentia idest amor, ex amore (2) sequitur motus ad appetibile, qui est desiderium, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 26. a. 2. Ut in hunc motum & quemlibet alium prorumpat appetitum, exigit, ut Deus prævie in ipsum appetitum influat: quia quocumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in sum actum procedere, nisi moveatur a Deo. Non solum autem a Deo est omnis motio, sicut a primo motore; sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio, sicut a primo actu. Sic ergo, juxta S. Thomam, (3) ad salvandam in Deorationem universalissimam causæ, non sufficit motio illa prima physica, quæ constituit voluntatem in actu, movendo illam ut universalem motorem ad universalem objectum voluntatis; nec sufficiunt motiones morales, quæ solum valent complacentiam, idest, quietem in uno præ alio, non motum producere; sed requiritur alia magis specialis, quæ attingat omnem formalem perfectionem, in actu quocumque repositam; præsertim ipsam ultimam actualitatem efficiendi; quæ cum sit universalissimum quid, soli universalissimæ causæ, Deo, ut effectus proprius ejus, correspondet: idest, requiritur prædeterminationio physica; quo nomine aliud nihil intelligimus Thomistæ, quam motionem veram ac realem, quæ Deus tamquam causa prima efficit in nobis, quicquid perfectionis est; ipsam etiam ultimam actualitatem omnium operationum nostrarum: ut sic propriissime intelligatur illud Isaia: (4) Omnia opera nostra operatus es nobis Domine: Et illud Apostoli: (5) Operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Item (6) Operatur omnia in omnibus.

LXXI. Addendum, hanc specialem motionem conformem esse dispositioni causæ secundæ, quæ si sit in debita dispositione, hæc etiam dispositio,

debita & bona, Deo ut Auctori adscribenda est; prout observat Eminentissimus noster S. R. E. Cardinalis Gotti De grat. Quæst. 2. Dub. 5. §. 2. n. 16. ubi ait: Secundo: congruitatem & circumstantias ad suscipiendam gratiam, Deum sua gratia facere, non supponere, docet idem Augustinus Homil. 23. inter quinquaginta his verbis: „Adulter non fuisti in illa vita tua præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in eum, qui te nescientem regebat? Hoc tibi dicit Deus: Tunc regebam te mihi, servabam te mihi. Ut, aut adulterium committeres, suavor defuit: ut suavor deesset ego feci. Locus & tempus defuit: ut hæc deesset, ego feci. Ad fuit suavor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentiret, ego feci. Agnosce ergo gratiam ejus cui debes, & quod non admisti &c. „ Si autem fuerit in prava dispositione, hæc non a Deo, sed aliunde est. Quod vero specialis illa motio conformis sit dispositioni causæ secundæ, docet S. Thomas q. 3. de malo art. 2. cujus verba, estis notissima, hic locum habeant oportet. Sic ergo ibidem Angelicus: „Motus primi moventis non recipitur uniformiter in omnibus mobilibus, sed in unoquoque secundum modum ejus. Cum enim aliquid est in debita DISPOSITIONE ad recipiendum motum primi moventis, sequitur actio perfecta, secundo intentionem primi moventis: sed si non sit in debita DISPOSITIONE & aptitudine ad recipiendum motum primi moventis, sequitur actio imperfecta. Sic ergo dicendum, quod cum Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic moventur ab ipso, quod etiam se ipsa movent, sicut quæ habent liberum arbitrium: quæ si fuerint in debita dispositione & ordine debito ad recipiendam divinam motionem, sequuntur bonæ actiones, quæ TOTALITER reducuntur in Deum sicut in causam. Si autem deficient a debito ordine, sequitur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic, quod ibi est de actione, reducitur in Deum sicut in causam. Quod autem ibi est de inordinata, natione non habet Deum causam, sed liberum arbitrium.

## C A P. VI.

## De Virtutibus Theologicis.

## §. I.

## Propositiones Quæstionales censura notatæ.

Nulla dantur gratiæ nisi per fidem. Est 26. Quæst. Luc. 8. v. 48.

Omnia alia salutis media continentur in fide tantquam in suo germine & semine: sed hæc fides non est absque amore & fiducia. Est 52. Quæst. Luc. 10. v. 43.

I. Plures alias hinc similes propositiones habet Quæstionales, de quibus distinctis paragraphis duxi agendum: tum quod diversos exhibere possint sensus damnabiles: tum, ut quæ dicenda sunt, distincta facilius intelligantur. Hinc bigam illam propositionum considerabimus, quatenus hunc naturalem exhibent sensum, nimirum. Ante fidem, fiducia & amor ( utique tali, qui omnia diligit propter Deum, quemque Deus re-

(1) 1. 2. q. 26. art. 2. c. (2) 1. 2. q. 27. art. 2. c. (3) In 1. dist. 28. art. 4. (4) Lib. 2. cap. 26. Edit. Paris. 1711. (5) De grat. Chr. cap. 24. (6) Lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. num. 22. (7) Lib. 1. ad Simplic. q. 2. n. 14. (8) Q. 6. de verit. 3. (9) 1. 2. q. 9. §. 6. ad 3.

(1) Exrat T. 5. Oper. S. Aug. in app. col. 262. (2) Vid. Goudin. T. 4. phil. q. 3. a. 2. §. 1. (3) S. Th. 1. 2. q. 109. a. 1. c. (4) Cap. 26. 12. (5) Phil. 2. (6) I. Cor. 12.